GREGORIUS I. MAGNUS

Österreich (?), 1. Hälfte 9. Jh.

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=36640
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek

244

quia priusquam bona opera insinuat: praedicat fidem per quam
anima humiliter veniens ad fructum bonorum actuum sub
levatur. Quae cuncta secundum mensuram portae prioris sunt. iux
ta hoc quod subditur. quia mensus est quinquaginta cubitorum
longitudine eius. et latitudine eius viginti quinque cubi
torum. Haec iam superius latius me dixisse meministis. Per
quinquagenarium enim numerum requiem diximus figurari.
quia et quinquagesimus annus in veteri populo in requie
datus est. qui appellatus est iubileus. Et septenarius nume
rus per quem hoc omne tempus evolvitur septies multiplicatus
ad quadraginta novem ducitur. cui monas additur. quia
in unius contemplatione requies aeterna perficitur. Iste ergo
quinquagenarius numerus nobis in longitudine est. quia
pervenire ad illam requiem non potest. nisi qui ad eam spe sua animo
tendere longanimiter potest. Quia enim per quinquagenarium
numerum ad aeternam requiem provocamur. etiam nos hoc omnino
instruit. quod in tabernaculis decem cortinae iussae sunt fieri.
Quae habent ansulas quinquagenas. et circulos aureos
quinquagenos a latere et summitate. Cortinae taberna
culi sunt sancti omnes. qui ex diversis virtutum coloribus infectae ecclesiae
ornamento proficiunt. qui et interiora velant. et exteriora
omnimodo exornant. quia eorum vita in quantum videtur
ornamentum est. et eorum intellectus intus absconditur.
Dum caelestia quae in mente servant. et dicere non possunt.
in eis aliquo modo velantur. Recte autem decem cortinae sunt. quia per de
calogi custodiam ipsa sanctorum corda proficiebant.

244